

THE PREFACE

1 Facturusne operae pretium sim si a primordio urbis res populi Romani
2 perscripserim nec satis scio nec, si sciam, dicere ausim, quippe qui cum
3 veterem tum volgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores aut in
4 rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem
5 superaturos credunt. Utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum
6 memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse; et
7 si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac
8 magnitudine eorum me qui nomini officient meo consoler.

9 Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum
10 repetatur et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit ut iam magnitudine
11 laboret sua; et legentium plerisque haud dubito quin primae origines
12 proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec
13 nova quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt: ego
14 contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum
15 quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe dum prisca [tota] illa
16 mente repeto, avertam, omnis expers curae quae scribentis animum, etsi non
17 flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset.

18 Quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis
19 quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare
20 nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati ut miscendo humana
21 divinis primordia urbium augustiora faciat; et si cui populo licere oportet
22 consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo
23 Romano ut cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat,

24 tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiuntur.
25 Sed haec et his similia utcumque animadversa aut existimata erunt haud in
26 magno equidem ponam discrimine: ad illa mihi pro se quisque acriter
27 intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque
28 artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde
29 paulatim disciplina velut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut
30 magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec
31 tempora quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus perventum est.

32 Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te
33 exempli documenta in inlustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque
34 rei publicae quod imitere capias, inde foedum inceptu foedum exitu quod
35 vites. Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam res
36 publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam
37 civitatem tam serae avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tam
38 diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. Adeo quanto rerum minus, tanto
39 minus cupiditatis erat: nuper divitiae avaritiam et abundantes voluptates
40 desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia
41 invexere.

42 Sed querellae, ne tum quidem gratiae futurae cum forsitan necessariae erunt,
43 ab initio certe tantae ordiendae rei absint: cum bonis potius ominibus
44 votisque et precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos
45 esset, libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successus prosperos
46 darent.